

roboratus regnique Danorum diademate potitus Norwegiam sibi vi et armis subiugavit. Tandem ingenti classe coadunata Angliam adiit¹. Sed rex Edwardus Anglie, vir sanctus et iustus, pacem magis eligens quam *bellum, regi Danorum *f. 12r. tributum optulit et ipsum post se regni heredem statuit. Sic² ergo trium regnorum victor Sweno quiete in Dania XXVIII annis³ regnavit. Migrante ergo ipso ad Christum de presenti seculo anno dominice incarnationis MLXXXIII. facta est maxima dissensio⁴ inter filios eius seniores, Haroldum scilicet et beatum Kanutum, cuius hodie memoriam agimus, quis eorum in sede patris regnaturus eligeretur. Haroldus vero quia et natu anterior et gestu videbatur modestior, comuni consensu omnium electus est in regem. Quod beatus Kanutus licet moleste ferret, pacienter tamen sustinuit, divinitatis futurum expectans auxilium. Haroldus vero, vir discretus, regni rector peroptimus leges optimas Danis instituit et institutas regali auctoritate confirmavit. Unde leges ab eo sancctas usque in hodiernum diem Dani ab electis et elegendis sibi regibus expetunt. Ipso anno regni eius sexto a seculo egresso beatus Kanutus successit ei in regnum. Cum enim XI⁵ essent Swenonis magni regis filii, talis inter eos facta est convencio, ut maior natu semper regnaret⁶, quam diu aliquis eorum superesset. Unde quinque ex illis fratribus contigit Danorum regni successive tenere monarchiam. Primo⁷ tenuit Haroldus, secundo sanctus Kanutus, tercio Olavus, quarto Ericus, quinto Nicolaus.

2. Assignatis siquidem beati martiris Kanuti nobilissimis natalibus ad ipsius preconia martiris pertractanda redeamus. Adeptus itaque regni Danorum diadema sanctus rex Kanutus princeps effectus est victoriosus, homo dis-

‘Verum sanctissimus rex Edwardus, cum iusticia regnum gubernaret, tunc quoque pacem eligens, victori obtulit tributum, statuens eum . . post se regni heredem’. Ann. Lund. a. 1048, a. a. O. Z. 46 ff. 1) ‘classemque parasse dicitur, ut Angliam suo iuri subiceret’, Adam a. a. O.; Ann. Lund. 2) Adam a. a. O.: ‘Cumque . . Suein tria pro libitu regna tenuerit’, Ann. Lund. a. a. O. 3) Regierungszeit und Todesjahr Svend Estritsens bei Ailn. cap. 3, S. 89. 4) Das Folgende aus Ailn. cap. 4, S. 90, wörtlich von ‘Haroldus vero quia’ an. 5) Die Zahl der erwachsenen Söhne Sueins geben die Knytlinga-Saga cap. 23 (Scripta historica Islandorum XI, 200) und Wilhelm von Malmesbury, Gesta regum Anglorum § 261 (ed. W. Stubbs, II, 319) auf 14 an. Saxo Buch XI, ed. Müller und Velschow I, 557, nennt elf. 6) Vgl. die Stelle aus der Chronik des Radulfus Niger oben S. 84. 7) Vgl. die Stelle der Ann. Lundenses oben S. 81.